


**Exercitatio Historico-Theologica De Religionis Evangelicae In Avgvstana Confessione, Dvobvs Abhinc
Secvlis Imperatori Carolo Vto Exhibita, Solstitio**


**Sectio Prior : De Vera Ecclesiae Christianae Indole Et Fatis Atqve Decremento,
Inde A Primis Eivs Originibvs, Vsque Ad Reformationem Sacrorvm, A. B. Lvthero
Svsceptam**

Kiliae: Litteris Vidvae Nicolai Lüderi, [1731?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn861921631>

Band (Druck) Freier  Zugang





86

Hydrog. Separationen
36.

Fa-1092(88)

EXERCITATIO HISTORICO-
THEOLOGICA

DE

RELIGIONIS EVAN-
GELICAE

IN AVGVSTANA CONFESIONE,

DVOBVS ABHINC SECVLIS
IMPERATORI CAROLO Vto
EXHIBITA,

SOLSTITIO;

CVIVS CAPVT VLTIMVM,
ET PRELO QVIDEM KILIENSI EXCVSVM,

DE INSGNI AVGVSTANAE
CONFSSIONIS INTER PRO-
TESTANTES AVCTORITATE,

PRAESIDE

D. HENRICO MVHLIO,
ACADEMIAE KILIENSIS SENIORE AC PROCANCEL-
LARIO, THEOLOGO ITEM PRIMARIO,

DE ECCLESIA AC ORBE LITTERATO MERITISSIMO,
*PVBLICAE PLACIDAEQVE ERVDITORVM DISQVI-
SITIONI EXPONIT*

AVCTOR

M. IOANNES FABRI, PANNONIVS,

KILIAE, LITTERIS VIDVAE NICOLAI LÜDERI.

REGIAE CELSITVDINI,
SERENISSIMO SLESVICI ET HOLSA-
TIAE DVCI

A CONSILIIIS SANCTIORIBVS,
PERILLVSTRI, GENEROSISSIMO ET
EXCELLENTISSIMO,

DN. MATTHIAE
de **CLAVSENHEIM,**

DYNASTAE IN PORTREMS, SHARSTORF, & KÖRCHAV,
ORDINIS EQVESTRIS S. ALEXANDRI EQVITI,
ET CAPITVLI HAMBVRGENSIS CANONICO,
DOMINO ET PATRONO SVO INDVLGENTI,

IVXTA ATQVE

PERILLVSTRIBVS ET EXCELLEN-
TISSIMIS DOMINIS,

DN. GEORGIO
HOLMERO,

CELSISSIMI PRINCIPIS, DVGIS SLESVICI AC HOLSATIÆ
IN SVPREMO TRIBVNALI, SVMMOQVE SENATV
ECCLESIASTICO

PRAESIDI GRAVISSIMO,

Dn.

DN. HENR. CHRIS-
TIANO STRYKIO,

REGIAE CELSITVDINIS SERENISSIMI PRINCIPIS RE-
GNANTIS SLESVICI ET HOLSATIAE DVCIS
IN AVLA ET SENATV SANCTIORI
CANCELLARIO,

OMNI MERITORVM AMPLITVDINE
EMINENTI,

DN. IOANNI
DIETERICO

SACRI ROMANI IMPERII LIBERO BARONI

de STARCK,

SERENISSIMAE AVLAE PRINCIPIS REGNANTIS SLES-
VICI ET HOLSATIAE MARSCHALLO, REI ARMA-
MENTARIAE, MILITVMQVE PYROBOLARIORVM
ET COHORTIS PRAETORIAE SVPREMO
PRAEFECTO,

DE AVLA PERINDE ATQVE PVBLICIS ADEO NEGOTIIS
LONGE MERITISSIMO,

DOMINIS AC MAECENATIBVS
SVMMOPERE OBSERVANDIS,

VETERI CLIENTVM MORE
DAT DICATQVE

IOANNES FABRI.

Nis

Nisi inusitata propensio VESTRA, & incredibilis erga literarum studia fauor, quem cum insigni dignitatis fastigio sapientissime coniunxistis, in luce publica versaretur, numquam essem eo audaciae progressus, vt has meas lucubrationes in conspectum VESTRVM producerem. Quum autem in tanto honorum culmine a VOBIS optimas artes amari, easque vltro tueri, & in maius meliusque prouehere VESTRVM delictum atque voluptatem esse intellexerim, fieri non poterat, quin ad hoc officii & venerationis genus vi quadam impellerer. Neque enim cessatis, licet grauioribus distenti rebus publice gerendis, diuinae pariter atque humanae sapientiae fauere, & cultores eius beneuolentia summa & perpetua complecti. Quae felicitas litteratorum hominum tanto quidem habenda est maior atque illustrior, quanto praestantiora reipublicae ornamenta a litteris ac disciplinis petuntur. Quocirca praeclare & cum religione, praeclare & cum studiis sapientiae in vniuersum agitur, quum eiusmodi ad reipublicae administrationem adhibentur Viri, in quibus tantum sanctitatis incorruptae, tantum priscae grauitatis & constantiae, tantumque prudentiae lumen elucet. Cuiusmodi dotes in vobis indigenae iuxta atque exteri suspiciunt; Musae vero pro tam diuinis curis, quibus iis omnino consulitur, etiam in immortalis gloria collocant. In his autem quum & ipse nomen meum profitear, dabitur hoc pietati meae, PROCERES, vt ego quoque aliqua ratione comprobem, quanti VOS, immo virtutem ipsam faciam; vel maxime, quod graues mihi fuerint causae, ob quas gratam meam mentem VOBIS significare debuerim. Praesertim mouit me singularis TVA, PATRONE PERILLVSTRIS, beneuolentia, quae non casu quodam, aut fato, sed consilio, vt credo, prorsus diuino, Musis meis obtigit. Iacerent enim hae in tenebris etiamdum, nisi fauore TVO tempestiue erigerentur. Eriguntur autem plerum-

IOHANNES FABRI

plerumque adeo, vt TIBI labores meos vel mediocriter probari gaudeam. Itaque publica etiam praedicatione quantum TIBI, PATRONE MAXIME, debeam testor, non crimine quidem, a quo longissime absum, sed suspicione saltem ingrati hominis me liberaturus. Quamuis forte ne sic quidem effu-gero notam, quominus vel importune, vel insolenter, vel abiecte, vel nimis blande egisse videar; quod si tamen animum introspicias meum, equidem me culpa penitus liberatum iri confido. Caeterum TVIS, EXCELLENTISSIME DOMI-NE PRAESES, ingentibus meritis me non minus vinci intelligo, & vltro fateor. Praeterquam enimvero TVA singulari commendatione factum est, vt ephorus ante hos aliquot annos illustri familiae praeficiendus ex superiori Saxonia adscisceret, magnis me etiam praeter omne meum meritum ornauiisti beneficiis, quibus referendis numquam par futurus ero; & praedicandis aegre propter magnitudinem sufficiam. Neque enim me plane fugere potest, valde exigua esse, quibus meam aliis consulendi operam adhuc testatam fecerim; TV tamen nihilofecius pro TVA insigni humanitate multo maiora omnia interpretaris, vt eo maiorem facias beneuolentiae in me TVAE facultatem. Quare enitendum mihi, & omnino elaborandum duxi, vt TV quoque intelligeres, me nullum in TE colendo locum aut tempus praetermittere, neque vnquam temere spem bene merendi depositurum. Eoque magis persuasi mihi, TE officium meum, quod a me TIBI deberi & ipse intelligis, tamquam futurum industriae meae obsidem interpretaturum. Eamdemque mihi aequitatem a VOBIS, quoque, DVVMVIRI GENEROSISSIMI EXCELLENTISSIMIQVE, pollicetur summi iudicii VESTRI moderatio; quippe quae numquam a benignitate diiuncta est, & tenues timidisque homines sustentat, sed maxime eos, qui rectis vitae institutis ad vera litterarum orna-
-317A

(*) 3

menta

23.

24.

4.

32

7.
menta contendere satagunt. Igitur & VOS, MAGNA HOL-
SATIAE NOMINA, conatus istos, qui iam iam iter ad VOS
adfectant, tentaturi, velut exploratores quidam, aditus quibus
se VESTRAE insinuare clementiae queant, sereno ac hilari &
VOBIS proprio vultu admittetis. Nam quamuis me minime
lateat virium mearum mediocritas, tamen si ex animo offe-
rentis certum plenumque iudicium facere volueritis, non mi-
hi nihil etiam adsequutus videbor; facileque a fauore & be-
neuolentia VESTRA impetrabo, vt haec exercitatio sub ex-
celsi NOMINIS VESTRI fulgore in lucem prodeat publicam.
Praeterea enim compertum est, VOS ne a sacris quidem istis
adeo alienos esse; quin potius cum doctissimis quibusque,
& qui nihil aliud agunt, quantum id occupationes vestrae
grauissimae permittunt, etiam de rebus istiusmodi, & ad emen-
datae religionis negotium pertinentibus, cum admiratione ali-
orum disseritis. Quod quum mihi certo constet, me ipse prorsus
deseruissem, nisi & VOBIS hoc grati animi monumentum po-
suissem, MAECENATES. Equidem fecerimne aliquid exspe-
ctatione VESTRA dignum, non aequae adfirmare possum; il-
lud certe fateri debeo, conatus meos qualescumque non so-
lum infra dignitatis VESTRAE splendorem, sed longe etiam
infra expectationem esse. Igitur nec, si qua subest, audaciam
meam deprecari, nec plura, si res verba desideret, ausim ad-
dere. Agite interea MAECENATES, & has leues chartas,
amoris & officii mei testes accipite, quoad Musae meae pe-
pererint, quod eruditorum, & VESTROS imprimis oculos sine
rubore sustinere possit. Agite inquam, & locum, quem
summa fide & constantia summaque dexteritate consequuti
estis, cum SERENISSIMI DVCIS VESTRI, totiusque rei-
publicae emolumento tenete salui semper & incolumes.
Kiliae, ad diem XXIIII. Martii. A. O. R. M. D. CC. XXXI.

ANTE-

ANTELOGIVM
AD LECTOREM BENEVOLVM.

Facturusne operae pretium essem, si quid laboris ad exercitationem quoque ingenii, a qua caeteroqui numquam adeo abhorruui, conferrem, equidem diu multumque haerebam anceps. Tanta enim mihi hoc rerum mearum statu praepedimenta obiiciebantur, vt vel inuitus a proposito subinde discederem. Adeoque si res mei solius consilii fuisset, telam inceptam tardius, aut vix elaborassem, ac ne vix quidem. Accidit tamen, vt ab illis ad institutum reuocarer, quorum neque iudicium contemnere, neque voluntatem negligere debebam; nisi forte spem omnem eorum beneuolentiae, quam maxime veneror, mihi vellem prorsus ademtam. Quinimmo ipse etiam animaduvertebam, magis ex vsu meo fore, si ea litterarum studia, in quorum genere meam operam consumsi, repeterem. Itaque argumentum mihi a summe venerando Praefide constitutum, quod inuicem sciscitantibus annus Confessionis Aug. bis-saecularis vltro suppeditabat, ita tractandum putauit, vt eidem sectionem priorem quasi προπαρὰσκευήν quandam praemitterem; non inutilem operam me collocaturum ratus, si quae ad dignitatem symbolorum comprobendam faciunt, ea ex primaevio potissimum ecclesiae christianae statu arcessem. Quocirca praecipuas ex ecclesiastica, quae dicitur, historia subsidio vocabam periodos. Nec tamen omnes, sed eas dumtaxat, quae velut quodam nexu ad propositum opus spectare videbantur. Diffitendum enim non est, symbolorum indolem ex alto semper repetere a tempore non fuisse plane integrum: etsi ad id animus maxime rapiebat. Quae autem haec ad illustrationem argumenti protulimus, ea nos ex monumentis fide dignis desumpsisse, quibus iustus rerum aestimator deprehendet. Facileque erit cuius ad colligendum, nos morem quoque illorum sedulo vitasse, qui illibatam antiquitatem eo praesertim nomine commendare solent, vt religionem, cui alioquin ipsi se addictos profitentur, traducant magis ac infament. Quod ad alteram exercitationis nostrae partem adinet, eam, prouti id commodum visum est, in duo capita dissecuimus; delectu propemodum omni & discrimine remoto. Nisi quod capite priori aduersus hostes extraneos; posteriori vero contra aduersarios domesticos Confessionis Augustanae integritas adseratur. Eaque generalis totius tractationis partitio est. Reliquorum enim, quae sigillatim a nobis tractantur, certissimo quasi indicio esse poterunt synopses, singulis capitibus praemissae. In his autem si quis vitio nobis forte dederit, quod ex historia Aug. Conf. pleraque, etiam in vulgus nota, & ab aliis iam dudum occupata, commemoremus, is probe meminerit, ea quae haec producimus, quantulacumque illa sint, & licet verissima, tamen ab aduersariis hodie maxima ex parte in dubium vocari solere. Quippe perfractis rerum gestarum cancellis putant sensim sensimque totum, quod hinc petitur, subuersum iri causae nostrae praesidium. Quare & istiusmodi aduersariorum insidiis, vbi id quidem tempestiue fieri poterat, occurrendum esse duximus. Vbi ne ea quidem temere reticenda erant, aut saltem sicco, quod aiunt, pede praetercunda, quae progressum Confessionis Aug. vltiorem apud quosdam

23.

24.

4.

32

dam exteros impediuerunt. Caeterum in vindicanda confessionis nostrae aucto-
ritate ita versabamur, vt, quantum fieri potuit, modeste dilueremus, quidquid nu-
per ad eam eleuandam protulere aduersarii eius domestici. Probauimusque re
ipsa, tamen si heic quoque media incedamus via, nos multo maius Confessioni
Aug. pretium statuere, quam illi quidem ipsi, qui plus etiam, quam par est, ei-
dem tribuere videri volunt. Nonnulli enim eorum talia in Confessione commini-
scuntur paroramata, quae non tantum res leues & secundarias, sed ipsam sanctis-
simam quoque & caelestem doctrinam concernunt. Id vero si impune facere li-
teret, & quidquid hypothese quorundam peculiari non respondet, inter adpersa
referre, facile plena rimarum essent omnia, & ab integritate doctrinae caelestis
prorsus aliena. Proinde, etsi concedamus errores quosdam in rebus, quas dicunt,
secundariis; tamen studio contendimus, quantum potest esse maximum, ne qua
labes ipsi doctrinae caelesti, quae in confessione nostra clare explicata est, adper-
geretur. Quam vero ob rem exercitationi huic titulum SOLSTITII praefixerimus,
non est forsitan necesse, vt causam rationemque eius rei prolixiuscule exponamus.
Testantur enim rerum gestarum monumenta, ecclesiam euangelicam mox a su-
scepta sacrorum emendatione variis fuisse iactatam procellis ac turbinibus, quin
& maximis iniuriis criminationibusque acerbè passim adperitam; neque vero
prius, quam edita demum solemnè doctrinae suae Confessione in tuto collocata,
inque pacem sacri romani imperii haud multo post recepta est. Igitur ha-
bito respectu ad res tranquillatas Protestantium beneficio Confessionis suae, &
doctrinam ipsam, in qua, qui illius socios se profitentur, adquiescendum est,
& adhuc quoque subsistendum, adhibemus in titulo vocem SOLSTITII, com-
mentationi nostrae non aequè incongruam. Caeterum si forte quaedam vti
sunt, minus elaborata occurrent, aut minus etiam expressa, festinationi id dan-
dum erit quadamtenus; quippe quae labores nostros occupabat propter imminen-
tem tunc Augustanae Conf. diem saecularem, cui cohonestando exercitationem
istam destinaueramus. Praeterea quidem tam praiceps celeritas & festinatio
causam quoque praebuit nobis, vt, quum Academiae typographus suas impres-
sionis operas aliis locauisset, aliquot plagulas in proximis viciniis imprimi cu-
raremus. *Caput tamen secundum Sectionis posterioris*, quod, publicae eru-
ditorum disquisitioni proposuimus, heic loci prelo excusum esse, non fuit teme-
re dissimulandum; ne, si alibi impressa a nobis ad ventilandum exponerentur,
contra constitutionem inclitae huius Academiae egisse videremur. Nonnullas
aberrationes typographiae infra ad calcem subiecimus; quippe quae in priori-
bus, me absente, irreperunt, quod legere librariis meam a volante manu scrip-
turam nequiuert. Ad notam tamen spectant modo, quae p. 5. lin. 2. exciderunt.
Post vocem itaque DODVVELLVS inferantur; IOSEPHVS BINGHAMVS,
*rom. I. de origin. ecclesiast. IACOB. VSSERIUS in de Episcoporum, & me-
tropolit. origine.* Atque haec quidem sunt, de quibus monendus, immo vltro
rogandus eras, Lector Beneuole; vt, si forte minus ex voto Tuo, nostroque con-
silio institutum nostrum successisse videatur, non industriam nostram nobis
qualemquam, sed tempus industriae desuisse me-
mineris.

EXER-



EXERCITATIONIS HISTORICO-THEOLOGICAE
SECTIO PRIOR,

DE
VERA ECCLESIAE CHRISTIANAE INDOLE ET FATIS ATQVE DECRE-
MENTO, INDE A PRIMIS EIVS ORIGINIBVS,
VSQUE AD REFORMATIONEM SACRORVM, A. B.
LVTHERO SVSCEPTAM.

Σύνοψις.

Coetus peculiaris hominum
quamobrem a CHRISO-
fuerit institutus, § I.
Primorum Christianorum do-
ctrina aequae ac mores san-
ctissimi laudantur, ibid.
Eorundem hierarchia, & ordi-
nis sacri divina propemo-
dum ὀμολογία, § II.
Ecclesiae Orientalis sub Chri-
stianis Imperatoribus de-
fectio, § III.
Hinc symboliorum occasio &
necessitas, eorumque, quae
oecumenica dicuntur, sum-
ma exhibetur, § IV.

Auctoritas symbolorum in Ec-
clesia Orientali, § V.
Symbolum Athanasii, & aposto-
licum, § VI.
Schismatis inter ecclesiam O-
rientali & Occidentalem
origo, § VI.
Unionis quaesitae causae &
impedimenta, ibid.
Realis dissensus inter utram-
que ecclesiam documenta
§ VII.
Exemplum odii romanensium in
graecos, ibid.
Romanos non minus Graecis
exo-

23.

24.

32

2 SECTIO I. DE VERA ECCLESIAE CHRISTIANAE

exosos esse probatur, §. IX.

Occidentalis ecclesiae primordia & status quum inter-
nus, tum externus, §. X.
XI.

Eiusdem politia sacra, §. XII.
aque pristina sua integritate
defectio, ib.

Defectionis Causae designan-
tur, §. XIII.

Querelae piorum de Romano-
rum pontificum tyrannide,
§. XIV.

Ordinis ecclesiastici diu deside-
rata reformatio, tum quoad
mores, tum quoad praeci-

pua doctriinae Capita, §. XV.

Pro generali reformatione,
quae seculis, emendatio-
nem LVTHERI antegressis,
expetebatur, opinio BOS-
SVETI excutitur, §. XVI.

Eumque in finem etiam Albin-
gensium, Waldensium, Wick-
lestarum & Bobemorum ab
ecclesia Romanensi discessio
urgetur, ibid.

Ad Causas reformationis pro-
ximas easque externas, sac-
rorum nundinatio publica,
maxime sub Alexandro VI.
Iulio II. & Leone X. nota-
ta, refertur, §. XVII.

§. I.

Illustria sunt veterum prophetarum oracula, quae
agunt de amplitudine, pace, & glorioso statu eccle-
siae Christi in his terris, promittuntque ecclesiae
post grauissimas afflictiones amplissima beneficia.
Quod quidem cum tanta plerumque verborum
contentione, & energia faciunt, ut maiora saepe polli-
ceri videantur, quam quae ecclesiae in his terris mili-
tanti conueniunt. *) At vero si haec prophetarum ef-
fata, paullo difficilia ac perplexa, de insignibus spiritua-
lium & coelestium donorum praerogativis, quibus iam ho-

*) Videbis loca Iesae, cum primis Cap. XI, II. seqq. Cap. XVI, XXV,
XXVI. Cap. XXX, 25. 26. seqq. XXXII, 15; seqq. XXXV, I. 2. XLIX,
17. seqq. LX, I. 2. 3. seqq.

homines vere Christiani gaudent, intelligantur; sensum certe ipsum, quem Spiritus Sanctus intendit, feliciter adsequemur, vitatis omnibus iis, quae incautos ad de-
 23.
 24.
 uia atque impedita mittunt praecipites.**) Neque enim societatem illam, quae ecclesiae Christianae tribuitur, alio sine Seruator humani generis instituit, quam ut homines in ea per verbum euangelii ad veram fidem, & per hanc porro ad aeternam salutem perducantur. Ipse enim suis id diligenter iniunxit Apostolis, ut cun-
 res docerent omnes gentes; μαθητεύσατε, inquit, πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς, Matth. XXIIII, 19. Quibus verbis non solum officium eis docendi, & sacramenta administrandi demandauit, sed eos simul doctores uniuersae ecclesiae praefecit. Utque maiorem eorum muneris vim auctoritatemque conciliaret, dedit eis, praeter illa,
 A 2

**) Vnde felicitas ecclesiae visibilis aestimanda sit, praecclare commonstrat *Campegius Vitrings*, cuius & dignissima putauit, quae heic legantur verba. ita enim ille: *Contemplatio ecclesiae quoad statum suum internum, quae ecclesiae veluti essentiam & formam facit, censeri debet maximi esse momenti.* Externa certe ecclesiae pax, tranquillitas, prosperitas, amplitudo, & de hostibus triumphus, etiamsi magna sint beneficia: vere tamen non reddunt ecclesiam Christi feliciorem & beatiorum in his terris, si coniuncta non sint cum eiusdem puritate, sanctimonia, veritatis & virtutis studio, zelo, & spiritualibus dotibus Sapientiae, Prudentiae, Intelligentiae, charitatis, & quae huius generis alia faciunt HOMINEM NOUUM IN CHRISTO, ut factus fetusque est per gratiam nouae Oeconomiae. Contra: si Sponsa Christi Iesu in his terris sit in luctu, deserta, facie exteriori nigra & squallida, a vigilibus, h. e. a praefectis imperii & ecclesiae falsae male habita, & desideat in speluncis & cauernis petrarum: eadem tamen, si casta sit, si sancta, si per seueriorem disciplinam a foeda labe purgata, si ad Christum Iesum mittat flammam puri & sinceri amoris, si zelo veritatis & gloriae diuinae ardeat, si plena fidei & spei, si gaudeat consolatione Spiritus Sancti, si spiritualibus dotibus in eam large effusis ornata; & denique, si gratia Christi Iesu in ea copiose habitet: illa est felicitior, longe beuor, longe amator Deo & Sponso suo Christo, quam quae externis illis beneficiis gaudens & superbiens, vitio neglectae disciplinae (ut sit in pace & prosperitate externa, si prudentes ecclesiae pastores zizaniis illis eradicandis non diligenter & sollicito pro officio suo incumbant) labem contrahit, per quam decus & vera gloria eius obfuscetur: quod tristis saepe experientia docuit, in anacrisi Apocalypicos ad Cap. I, vers. 20, §. 22. pag. 48. seq.

4.
 32

4 SECTIO I. DE VERA ECCLESIAE CHRISTIANAE

illa, quae in singulos contulit dona potestatem remittendi & retinendi peccata, variaque patranda miracula. Ne autem adeo essent solliciti de sufficienti diuinarum rerum scientia, ac pura fidei veritatisque salutaris Confessione: repleuit eos omnes Spiritu Sancto, Act. II, 2, seqq. Doctrina vero, quam homines Christiani ex venerabili ore Apostolorum hauserunt, erat pacifica, & minime simulata. Ac licet eius testera non aliunde spectabatur, quam ex salutaris doctrina Christi: ita enim Ioannes: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, ne recipite eum domum, nec aue ei dicite*, 2. epist. vers. 9. & 10: nihilo tamen minus omnem omnino rerum diuinarum cognitionem fidelibus tribuit idem apostolus. Nam, *vos vnctionem, ait, habetis a sancto illo profectam, & nostis omnia*, 1. epist. II, 20: Nec doctrinae tantum puritate, sed & vitae sanctae, quam vera fides non progignere nequit, studio ecclesia illa conspicua fuit, quemadmodum praecleara virtutum exempla, in sacris quoque litteris obuia testantur. Sed neque aliud ab iis expectari poterat, qui summa cum alacritate sermonem apostolorum non vt hominum, sed vt Dei verbum receperant 1. Thessal. II, 13. Quorsum frequentes quidem illorum persecutiones non parum conturbabant; in his enim fides pariterque charitas Christianorum, non secus quam aurum in igne exsplendescibat. Quare & Paullus laudat Thessalonicenses, qui fidem suam Constantia & patientia in tolerandis ad afflictionibus declarauerant: *vos*, inquit, *fratres imitatores facti estis ecclesiarum Dei, quae sunt in Iudaea, in Christo Iesu, quippe qui eadem passi sitis, & vos a propriis tribulibus, quae nos a Iudaeis*, *ibid. II, 14*. Quod tantum certe elogium est, vt vix vllum Christianis hominibus cogitari possit dignius. ***

§. II.

Quod ad hierarchiam attinet, ordine quodam, ac

*** Prolixius, & magna cum industria de moribus Christianorum egit B. D. IO. FRANCISCVS BVDEVS in ecclesia apostolica, Cap. VII. cuius & plerumque verba haec adhibere; quam nostra, maluimus.

ac directione. fuisse opus, quoties Christiani sacrorum
 causa conueniebant, res ipsa docet. Neque dubium est,
 quin apostolorum, & pro se nata Presbyterorum in his
 omnibus partes potiores fuerint. Quae tamen omnia si-
 ne imperio, ac sine potestate legislatoria constitui po-
 terant. Cum enim gentiles aut inimici essent ecclesiae,
 aut saltem eam haberent contemptui, prout Paullus que-
 ritur 1. Cor. I, 23.: quod ipse caeterique apostoli praedi-
 cent *Christum crucifixum, Iudaeis offendiculum, graecis, siue
 ethnicis stultitiam*, itaque nulli ecclesiae Christianae pasto-
 res ante Constantini tempora ab imperatoribus eligeban-
 tur. Sed ecclesiae, quae vndiquaque premebatur, cu-
 ram omnem & administrationem, praesidentes eccle-
 siae ministri in se susceperunt, atque ecclesias, vbiubi
 plantare poterant, instituerunt, praeficiendo iis regen-
 dis peculiare episcopos, †) qui propter aetatem *πρεσ-
 βύτεροι*, a pascendi munere *ποιμένες*, a docendi functione
διδασκαλοι, a ministerio *διάκονοι* nuncupabantur; cae-
 teraque ad *εὐταξίαν* spectantia, pro locorum atque isto-
 rum temporum ratione praeceptis constituerunt longe
 saluberrimis. Atque iam tum ritus quosdam ac caeri-
 monias esse introductas, in quibus tamen nihil a simpli-
 citate illius aevi alienum deprehenditur: ex veterum
 monumentis certo colligimus. Quia vero paullo ante
 mentionem fecimus praesidentium ac episcoporum: non
 abs re prorsus fuerit, si, quae tum distincta vnus officii
 nomina in eandem personam congruerint, scripturae
 sacrae verbis & antiquitate etiam demonstrauerimus. Ac
 primo quidem locus scripturae Act. XX, 17. insignis pla-
 ne occurrit, vbi Paullus accersitis ecclesiae ephesinae mi-
 nistris, tribuit titulum Presbyterorum, quos in eadem

A 3

ora-

†) Caeterum de Origine Episcoporum egerunt viri famigeratissimi; inter
 alios, DODWELLVS, cui beate defunctus D. IO. FRANCISCVS BVD-
 DEVS se peculiari dissertatione opposuit: & CHRISTOPH. MATTHAE-
 VS PFAFFIUS, in schediasmate de origine episcoporum Anglicano-
 rum, postea tractatu de Originibus iuris ecclesiastici adnexo. Praeser-
 tim haec laudem meruit ZIEGLERVS, elegantissimo opere de episcopis.

6 SECTIO I. DE VERA ECCLESIAE CHRISTIANAE

oratione vers. 28. vocat etiam episcopos: *attendite*, ita enim pergit, *animum ad vos*, & *totum gregem*, in quo vos *Spiritus ille Sanctus constituit episcopos*, ad *pascendam ecclesiam Dei*. Hic idem apostolus ad Tit. I, 5. ait, se eius rei gratia dereliquisse Titum in Creta, ut, quae desint, corrigeret, constitueretque oppidatim Presbyteros, vers. seq. si quis esset in culpatus, vers. 7. oportet enim episcopum in culpatum esse, tamquam Dei dispensatorem. Et Petrus I. epist. V, 1. Presbyteros non solum iussit *pascere*, verum etiam *ἐπισκοπεῖν*. ex quibus argumentatur Hieronymus, *idem est ergo*, inquit, *Presbyter, qui episcopus*. . . *manifestum est eos, qui Apostoli lege contempta, ecclesiasticum gradum non merito voluerunt deferre, sed gratia, contra Christum facere, qui qualis in ecclesia Presbyter constituendus sit, per apostolum suum exequutus est*. Cum primis vero urget hic pater ecclesiae epistolam Paulli ad Titum I, 5. tandemque concludit: *Haec propterea, ut ostenderemus, apud veteres eosdem fuisse Presbyteros, quos & Episcopos*. Neque temere heic praetermittendus est locus epistolae ad Philippenses Cap. I, 1. Quo Paullus sanctae illius societatis, quae Philippis erat, instituit itidem distributionem partium multo pulcerrimam. Postquam enim sanctis, isthic degentibus, ex more suo gratiam caelestem impertiuisset, praeter Episcopos, etiam Diaconos nominavit. Vnde colligi pro certo potest, quod, quum Diaconi distinguerentur a Presbyteris, aut Episcopis, eo ipso non illico opponerentur illis, sed pari potius reuerentia digni habebantur. Idque haud obscure Polycarpus, Ioannis apostoli discipulus, innuit in epist. ad Philippenses scribens: *fideles ut essent ὑποτασσόμενοι τοῖς πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις*, id est, diaconis aequae ac Presbyteris obsequerentur. ²Tam aequabili ministrorum concordia primitiua regebatur ecclesia, nullius eminenti obnoxia dominio. ³Quam *ἰσοτιμίαν* quidem decens ordo comitabatur, sine quo nulla ⁴temere sibi constare potest societas. Quippe aequabilis ⁵inter eiusdem muneris consortes, ac sese honore multo praeuenientes sanctos paritas, diuina propemodum

ὁμο-

ὁμοψυχία & commune consilium in σύγχυσιν & ἀναρχίαν²³ nequaquam degenerabat. ††) Stabant enim aequo (in eodem gradu & ordine) iure omnes, sed suo quisque²⁴ loco. Nondum orbis adorabat Romam, nondum p²⁵nes hanc fidei & salutis arbitrium, nondum purpurata²⁶ sacerdotia, nondum ex episcopo pontifex, aut ex ho²⁷mine DEUS." Vixque ante aetatem Sabellii, Samosateni, vel Arii ulla de fide intra ecclesiam mouebantur certamina, aut habitae quaestiones. Nec enim molestam Apostolis colluuiem semi-iudaeorum, aut foedam gnosticorum insaniam, quos damnatos dixit EPIPHANIUS, (id enim voce καταγνωστικός innuitur,) sibi in censum venire sinebant viri sanctissimi. †††)

§. III.

††) Vt praeclare scribit DAVID BLONDELLUS ad diui Hieronymi epistolam 83. Occamum Presbyterum spectantem, & ex epistola 85. ad Euagrium.

†††) In duas partes haec abire eruditos notum est omnibus, quorum alii iam actate apostolorum manifestos fuisse haereticos existimant: siquidem & in scriptis apostolicis primo statim loco memoratur Simon Magus πατήρ καὶ δημιουργὸς αἰρέσεων, Act. VIII, 9. seqq. item Hymenaeus ac Philetus, 2. Timoth. II, 18. qui resurrectionem iam factam fuisse docuerunt; ideoque THOMAE ITTIGIO audiunt haeretici. vide sis eius Hist. ecclesiast. Sec. II. pag. 184. & in alloquio ad auditores, in limine disert. de Haeresiarchis. *Ittigium* magno consensu sequuntur IO. FRANCISCUS BUDDEUS, in ecclesia apostolica pag. 317. & 404. seqq. CHRISTIANUS EBERHARDUS WEISMANNUS Hist. eccles. Tom. I. pag. 94. JOACHIM. HILDEBRANDUS, & ADAM. RECHENBERG multoque plures eadem statuerunt. Alii contra negare sustinent, quos inter iam HEGESIPPUS apud EUSEBIUM contendit, ecclesiam christianam, quamdiu apostoli vixerunt, virginis cuiusdam instar, integram & ab omni haereseos labe incorruptam mansisse: mortuis autem apostolis, caeterisque, qui ipsum seruato²⁸rem viderant atque audierant, tunc demum exortam impii erroris conspirationem fraude & malitia falsorum doctorum, *hystor. eccles. Lib. III, cap. XXXII. pag. 104. & Lib. IV. cap. XXII. pag. 142.* Hegesippi sententiam ambabus, quod aiunt, vlnis exceperet: HENRICUS DODWELLUS, disert. I. ad Jrenaeum §. XI. SAMUEL BASNACIUS in Annal. Tom. II. p. 37. GODOFREDUS ARNOLDUS, in Hist. Haeres. Lib. I. cap. IV. pag. 39. & PHILIPPUS IACOBUS HARTMANNUS in commentar. de rebus christianorum sub apostolis, Cap. XXIX. pag. 525. Cum primis hoc egit S. V. D. JOACHIMUS LANGIUS in ogdoade

8 SECTIO I. DE VERA ECCLESIAE CHRISTIANAE

§. III. Verum enim vero quo facta est aetate adultior ecclesia, quove plurimum gentilium accessione diffusior red- dita, aut otio segnior, aut opibus abundantior, fulgentiorque dignitatibus: eo magis contraxit vitium seculi; trita autem olim, & acerbis persecutionibus passa, semper surrexit laetior. Videbantur quidem res Christianorum tuto satisque firmo esse loco, posteaquam CONSTANTINUS M. pacem reddidisset ecclesiis, per totum romanum imperium diffusis, potuissentque, voluntate supremi numinis, egregie florere, modo sua bona melius intellexissent mortales, seduloque vitassent mutua inuicem certamina. Sed longe atrocius periculum cunctis ecclesiis illa pace generatum agnoscunt cordatiores plerique omnes. Etenim simulatque Christiani imperatores esse coeperunt, (primus autem omnium Romanorum principum Christianus fuit Constantinus M. qui & ecclesiae suum praestitit ingens patrocinium); illico suborta sunt inter Christianos funesta, neque unquam satis deploranda dissidia, disputationes, & concertationes acerrimae, de gravissimis imprimis religionis sententiis, quae eam in partes distraxerunt, ejusque splendori atque gloriae meras iniecerunt offutias. *Non enim extranei & hostes, perinde ac olim, ecclesias oppugnabant, ἀλλ' ὁμόφυλοι καὶ ὁμοθεοφωοὶ καὶ ὁμογράφεοι κατ' ἀλλήλων ἀντιδοράτων ἐκίβαν τὰς γλώσσας. μάλλον δὲ μέλη ἀλλήλων ὄντες καὶ εἰς ἓν τελευτῆτες σῶμα, κατ' ἀλλήλων ἀπλίζαντο: sed contribules, eiusdemque recti & mensae participes, linguis tanquam telis inter se mutuo dimicabant. Immo vero cum alter alterius membra essent, & in unum corpus coalescerent, aduersus se inuicem armabantur.** Primum quidem leuiiores ecclesiarum dissensiones orientem,

dissertationum de Haeresiologia, disput. quarta. Ac ne hi quidem minori nituntur verisimilitudine; namque, si Simon Magus cum suis gregalibus, ab apostolis, quod omnino colligere licet, penitus reiectus atque condemnatus fuit: in fidelis potius, & si quando sorte christianum se profitebatur, apostata, quam haereticus censendus est. querente THEODORITO, Hist. eccles. Lib. I, Cap. 6.

tem, conspiratis factionum partibus, ab occidente destraxerant, ipsumque Constantinum M. quo principe libertatem fidei orbis Christianus acceperat, fatigarunt. Namque tum haeresis Arii prorupit, totumque orbem inuesto errore turbavit. Alexander enim, Alexandriae episcopus, cum paullo subtilius apud presbyteros suae ecclesiae differuisset, de ortu divinae & praestantioris in Christo naturae, nec suam illam hypothesein probare posset Ario: mox tota Aegyptus, inde Asia & uniuersa per omnem terrarum orbem ecclesia diuisa est in partes, & acerrimis concertationibus disputatum est de aeterna & consubstantiali diuinitate Filii Dei, quam Arius, ac inter reliquos Eusebius, Nicomediensis episcopus, magnae vir auctoritatis, penitus negabat inde **) *ερίδες εν εκάστη πόλει καὶ καὶ μὴ καὶ μάχαι περι τῶν θεϊῶν δογμάτων ἐγίνοντο, & vt Socrates tradit τὰ πάντα ἦν ταραχῆς ἀνάμεσα.* Neque enim solos ecclesiarum antistites verbis inter se digladiantes cernere licebat, verum etiam populi multitudinem duas in partes diuisam; aliis ad hos, aliis ad illos se applicantibus; quin immo ipse etiam imperator, acerrimis erroris nefandi auctoribus deprauatus, vim persecutionis exercuit *) in omnes, qui se ab Arianorum

B com-

**) ibidem.

*) Non patitur instituti ratio, uti vitam ac fata eius perstringamus, in varias easque diuersas sententias abeuntibus viris doctissimis. Dum enim a plerisque laudatur, culpatur certe a bene multis. Pro eo quidem decertant EUSEBIUS in vita Const. M. BARONIUS in annalibus ecclesiasticis. SCHELSTRATE in antiquitat. ecclesiasticis, CAUEUS in *ersten Christenthum*, & in historiae litterariae scriptoribus ecclesiasticis. VALESIIUS in praefatione de vita & scriptis EUSEBII. ALEXANDER de fide, in qua obiit Constantinus. PAPERBROCHIVS in Commentario Historico de Constantino M. JANINUS in actis sanctorum Tom. I. ELIAS du PIN dans nouvelle bibliotheque des auteurs Ecclesiastiques. Jo. Frisar, *Spanhemius* in hist. ecclesiastic. ad Saecul. IV. BASNAGE Annales. Tom. II. BULLUS in defensione fidei Nicaenae. SAGITTARIUS dissert. de Constantino M. Scultetus in confutatione disputationis Baromanae de Baptismo Constant. M. Cellarius exercitatione de primo principe Christiano. Tenzel de baptismo Constantini M. FRICKIUS de fide Constantini M. haud dubie Christiana. DALHUSIUS in Schediasmate histo-

communione se creuerant. Diutiusque tam tristis ac deploranda fuit ecclesiae facies. Namque bellis huiusmodi & concertationibus, vsque ad nonum Christianismi seculum protractis, misere lacerabatur. Cum enim Ariana, siue Eunomiana haeresis in Oriente magis magisque infirmaretur, nec nisi fere a barbaris populis Gothis & Vandalis sustineretur: turbauere illam ecclesiam, meliora sperantem, nouae & acerbissimae lites Nestorianae, **) Euty.

rico de baptismo Constant. M. Lentnerus dissert. de Constantino M. non ex rationibus politicis Christiano & IO. ANDREAS SCHMIDIUS de historia Seculi IV. fabulis maculata. Contra cum vero calamum strinxerunt Zosimus e veteribus, e recentioribus CHRISTIANUS THOMASIVS Obseruat. Halens. Tom. I. Obseruat. XXIII. & XXIV. nec non BURCHARD. GOTTHELFIVS STRUUIVS in dissert. de Constantino M. ex rationibus politicis Christiano. & GOTTFR. ARNOLDUS in historia haeresiologiae ecclesiast. Tom. I. lib. X. item in historia Christianismi primi. Reprehenditur imperator hic potissimum cum alias ob causas, quas Zosimus exponit prolixius, tum quod ipse veri numinis cultum praeseferens, legem promulgarit, qua ob usum magnificarum artium eos accusari vetat, qui de nefariis illis ritibus ac disciplinis opem pro corporibus humanis, aut rerum vitae necessariorum conseruatione quaerunt: hoc est, qui fonte honorum Deo deserto, quae ab illo se habituros subsidia desperant, a geniis expectant: quasi, aut diuinis in litteris hoc expresse prohibitum non esset, aut impiae rei vsus aliquis esse licitus possit; quodque Constantiae fororis impulsu Arium auctorem sectae post homines natos impurissimae, reuocari ab exsilio, praeclareque de religiosa pietatis doctrina meritum ATHANASIVM Treuorum ad urbem deportari iusserit, notante id Sulpitio Severo, Hist. Sacrae Lib. II. cap. 35. pag. m. 252. & JO. LEUNCLAUIO, apologia pro Zosimo aduersus Euagrii, Nicephori Callisti, & aliorum acerbas criminationes.

**) Nestorius, episcopus Constantinopolitanus, sub Theodosio iuniore, Mariam volebat Θεοτόκον nuncupare; verum Χριστοτόκον. Ideoque damnatus in Concilio Ephesino, quod Theodosius minor coegit, missus est in exsiliu, testante id Socrate Lib. VII. EUAGRIO, ac NICEPHORO pluribusque alijs. inquisiuit in eius haeresin ante aliquot annos PAULLUS ERNESTUS IABLONSKY in exercitatione historico-theologica, de Nestorianismo. Quae cum nonnullis mitius, quam par esset, in Nestorium exarata videretur, opposuit eidem PAULLUS BERGERUS Nestorianismum haereseos conuictum, ipsum auctorem haud leuiter reprehendens, quod priscos istius aetatis doctores, & doctrina, & morum grauitate, & animi praestantia clarissimos, contra omnem rerum gestarum memoriam, impellente quadam nouitatis cupiditate,

Eutychnae, ***) et, quae ex iisdem prodierunt, Trium Capitulorum sic dicta, & Monotheliticae. Quas tandem exceperunt accerrimae contentiones iconolatrica & iconoclasticae sub Leone Isaurico coeptae, ac per totum octauum seculum continuatae. Nec in haereses tantum, sed etiam in teterrimi odii, & probrosae maledicentiae foedissimam saniem, grassabatur haec mentium aerugo, ac vomica quaedam animorum. Quae factum, vt perdita atque profligata Eusebii vtriusque, & totius fere Orientis obseruentur iudicia in Athanasium Alexandriae, itemque in Eustathium Antiochiae

B 2

prae-

accusaret, nec parum derogaret piis eorum manibus. Sed modeste diluit Bergeri criminationem JABLONSKY, edita dissert. historico theologica de origine & fundamento Nestorianismi, Francof. cis Viadrum 1728. 4. vindicabitque se proxime in *ingenua in Nestorianismum inquisitione*.

*** In Nestorium insurgens Eutyches, Abbas Constantinopolitanus, ipso Nestorio peiora protulit: ideo *ἀτυχης*, infortunatus, non vero *εὐτυχης* a Quintiano in epist. ad Pet. Ful. Conc. Tom. IV. p. 1100. iudicabatur. facilis quidem Eutycheti in errorem fuit lapsus, siquidem vnionis modus vix a spiritu sancto reuelatur, nec adaequatam dogmatam recondito praeferebant lucem scriptores diuinitus adflati. Nihilominus, tametsi crassissimus fuerit error Eutychianorum, humanitatem Christi in diuinitatem transformantium: plaudebat tamen sibi humana superbia, ca ratione ad summum dignitatis fastigium, immo ad diuinitatem vsque promota. Cumque plures essent, qui Eutycketem propugnarent, tantos haereseis eius concitauit motus, ut nequaquam componi potuerint. Caesi saepe milites cum monachis, in Aegypto frequentissimis, cum Eutychnianis plerumque, vel plebe belligerantes. Marciani turmas seditionem inhibere volentes populus lapidibus petiit, atque in fugam versas in templo, Serapidi olim dicato, veluti obseclas concremavit. Sic Narses tumultuantium impetum nequaquam potuit sustinere. Vincebatur ille, ab imperatore missus, concordia ciuitatis, & mulierum multitudine, e testis in milites, quidquid manibus occurreret, vibrantium. Sic eorum cecidit maior numerus; cum ab altera parte caesa fuisset Gaianitarum pars magna, quin immo imperatores ipsi aliquando de imperio vitaeque periclitabantur, quamquam in omnes partes sese vertebant; dum alii tolerarent, alii denique motus Eutychianorum reprimere tentarent. Quam vero longe lateque disseminata fuerint Eutychetis dogmata, egregie edisserit JACOBUS BASNAGE in dissert. *de Eutychnianis variisque Eutychianorum sectis*, ex qua & illustrandi causa, haec enotauimus.

praesules, nec longe postea in Gregorium admouendum Byzantinae sedi. ****) Namque nefandorum postulabantur scelerum, perduellionis, sanguinis, sacrilegii, stupri, aut lecti alieni concupiti, vt etiam filios, dum nescirent, inuenirent, notante NAZIANZENO, Orat. XXVII. Atque hae erant illorum iam temporum artes pessimae, & irarum atque armati furoris exempla! quae semel inflammata nullis principum imperiis, nullis synodorum iudiciis decretisue mirescere ac deferuere potuerunt,

§. IV.

Ecclesiae ergo malis domesticis tantopere laboranti, conditis pro re nata symbolis, omnino consulendum erat. Horum autem maioris momenti Nicenum est. In concilio quippe oecumenico primo, Nicaeae sub imperatore Constantino M. ex omni Asia, Africa & Europa conuocatis CCCXVIII. episcopis, editum, & in altero concilio oecumenico, quod Constantinopolitanum primum dicitur, cum additamento quodam contra Macedonii errorem, repetitum. Ad haec & alia, particularia tamen, ecclesiae symbola, nimirum Hierosolimitanae, Alexandrinae & Antiochenae acceperunt, de quibus ex

****) Orationes & Carmina GREGORII NAZIANZENI tristem illam faciem ordinis episcopalis, vti quidem eam describit, nemo, nisi horrens, legere poterit. Vbiq; enim fere taxat episcoporum, archiepiscoporum, sui temporis ignorantiam, ambitionem, odium, superbiam, auaritiam, dissidia, luxum, & quae alia vitia ministrum ecclesiae insigniter dehonestant. In Carminibus Tollii Carm. I. memorabile est illud, quod aduersus episcopos & Praesules instruxit. Ita enim, postquam pluribus mores eorum corruptissimos & ignorantiam depinxisset, vers 361.

Δυσχρὸν μὲν, εἰπεῖν, ὡς ἔχει, φράσω δ' ὄμωσ
Τάχθόντες εἶναι τῶ καλῆ διδασκαλοῖ,
Κακῶν ἀπάντων ἐσμὲν ἐργασήριον.

*Pudet quidem me dicere, quo pacto res nostrae se habeant: dicam tamen,
Quum ordinati constitutisque simus virtutis Doctores,
OMNIUM MALORUM OFFICINA SVMVS,
Fuisse tum statum ecclesiae Graecae, quam Romanae, corruptiorem,
etiam JOSEPHUS SCALIGER dixit, vide sis Scaligeriana prima.*

veteribus referunt VSSER. ARMACHANUS de symbolo apostol. veterē & GERARDVS JOANNES VOSSIVS detribus symbolis. Ad causas principales, quae in Concilio Nicaeno actae sunt, refertur Arianæ haereseos damnatio. Namque & alia in eodem decreuerant patres, cuiusmodi fuerunt controuersiae Paschalis aequae, ac schismatis Nouatiani compositio. Quae vero de philosophorum gentilium in Concilio hoc praesentia, atque cum episcopis conflictu a GELASIO Lib. II. Cap. 13. prolixè referuntur; pro puris putis figmentis habent ELIES DU PIN in Bibliotheca ecclesiastica, Tom. II. pag. 315. & CAVEVS in historia litteraria. Occasionem forte illas episcoporum cum philosophis disputationes fingendi suppeditauit RUFFINI narratio, de philosopho quodam, indocti cuiusdam & simplicis Confessoris Compellatione ad Christi fidem conuerso, contexta, *historiae suae ecclesiasticae* Lib. I. Cap. III. verum SOCRATES idem perhibet, Lib. I. Cap. VIII. & Sozomenus Lib. I. Cap. XIX. qui & os cuiuspiam gentilis philosophi ibidem, ab Alexandro Constantinopolitano obturatum, memorat. De auctore symboli istius, an Osius fuerit, quod vult Baronius; an Hermogenes, perhibente Basilio M. epist. 319: nihil adtinet dicere: videtis interea GERARDI IOANNIS VOSSII dissertationem III. l. c. THOMAE ITTIGII historiam Concilii Nicaeni, pag. 44. seqq. & Christiani Ludouici notas ad eandem, pag. 97. seqq. Obseruant viri docti triplex symbolum fuisse in ecclesia Orientali, scilicet vetus quoddam, quod obtinuit ante synodum Nicaenam, Nicaenum ipsū, & Constantinopolitanum. Credibile enim est, patres Nicaenos, quoad eius fieri poterat, retinuisse verba symboli in Oriente, vbi Arii haeresis grassabatur, tum maxime recepti; quia alioqui visi fuissent simplicioribus noūam etiam fidem condere. Salutarem Concilii porro conatum exitus sequebatur primo quidem laetus, pulso in exsilium Ario cum sociis eius, subscribere detrectantibus, & pace in speciem ecclesiis conciliata; at breui postea lamentabilis idem adparuit, Arii simulata palinodia, Namque

que corrupto imperatore Ariani non occulte, vt antea, sed palam ac publice haereticis dogmata praedicabant, potestate regis vsuri, vbi auctoritate sua parum valuissent. Quin immo synodum Nicaenam pro se interpretabantur, vnius litterae adiectione. Etenim pro ὁμοούσιον, quod vnius est substantiae, τὸ ὁμοιούσιον, quod est similis substantiae, substituerunt. Eoque his certaminibus processum est, vt iis totus fere Christianus orbis implicaretur; deturbatis a munere istis omnibus, qui alieni erant ab Ario, quos inter Athanasius ecclesia submotus, qui semper Ariani velut murus obstiterat. Et Dionysius Mediolanensium sacerdos vrbe pellitur, tum Eusebius Vercellensium, & Lucifer quidam Sardiniae, referente Sulpitio Seuero, l. c. episcopi relegati. *Liberius* quoque vrbis Romae, & **HILARIUS** Pictauiorum episcopus dantur exilio. Pluresque multo, quibus fides chara, & veritas potior erat, Ariani eadem conditio implicuit. Hinc grauis profecto querela expressa est **HILARIO**, Pictauiorum episcopo ad Constantium Augustum; digna saltem, quae ab omnibus legatur, atque expendatur diligentius. *)

§. V.

*) *Hilarii Pictauiorum episcopi epistola ad Constantium August. imperatorem.*

Circumuentum te Augustum, illustremque Caesarem tuum ea confidens conscientiae meae conditione, patefaciam: vt si indignum aliquid non modo episcopi sanctitate, sed etiam Laici integritate gessisse docear, non iam sacerdotium per veniam expectem, sed iura poenitentiam Laici confenscam: recognosce fidem quam olim, optime ac religiosissime imperator, ab episcopis optas audire & non audis. Dum enim a quibus ea requiritur, sua scribunt & non quae Dei sunt praedicant: orbem aeternum erroris, & redeuntis in se semper certaminis circumtulerunt. Oportuerat enim humanae infirmitatis modestia omne cognitionis divinae sacramentum, illis tantum conscientiae suae finibus contineri, quibus credit; neque post confessam & iuram in baptismo fidem in nomine Patris, & filii & Spiritus Sancti quicquam aliud vel ambigere, vel innovare. Sed quorundam aut praesumptio, aut facilitas, aut error, apostolicae doctrinae inde mutabilem Constitutionem partim fraudulenter confessa est, partim audacter egressa; dum in Confessione patris & filii & spiritus sancti veritate naturalis significationis eludit, ne id maneat in sensu, quod in regenerationis Sacramento est constitutum. Ob hoc penes quorundam conscientiam nec pater pater, nec filius filius, nec spiritus sanctus spiritus sanctus est.

§. V.

Illucescente tandem Christiani nominis solstitio, quum satis diu prædminaretur Arianismus: tantam, præfertim in ecclesiis Graecis, symbolum Nicenum obtinuit auctoritatem, vt id confiteri necessum habuerint patriarchae & archi-episcopi, dignitatem ecclesiasticam petitura; id quod vel ex iure Graeco-Romano, cuius editionem MARQUARDUS FREHERUS procuravit, colligere est.

§. VI.

Duorum reliquorum symbolorum, & tempus, quo condita sint, & auctores penitus ignorantur. Illud certe Athanasii episcopi Alexandrini non esse, quod nomen eius prae se fert, gravibus argumentis demonstrarunt viri earum rerum peritissimi. Neque enim ipse Athanasius quidpiam istius meminit in historia, quam epistolis de fuga sua, & apologiis praetexuit; nec qui vitam eius consignerunt, vllam symboli illius fecere mentionem. Ac dissentientes etiam fatentur, longo post tempora Athanasii interuallo, forte circa annum millesimum in ecclesiis primum obtinuisse. Ad haec accedit, quod cum seculo

Sub cuius necessitatis tamquam Improbabili occasione, scribendae atque innouandae fidei exinde vsus inoleuit. Qui postquam noua potius coepit condere, quam accepta retinere, nec veterata defendit, nec innouata firmavit, & facta est fides temporum potius quam euangeliorum: dum & secundum annos scribitur, & secundum confessionem baptismi non tenetur. Periculosum nobis admodum, atque etiam miserabile est, tot nunc fides existere, quot voluntates: & tot nobis doctrinas esse, quot mores: & tot causas blasphemiarum pullulare, quot vitia sunt: dum aut ita fides scribuntur, vt uolumus; aut ita vt uolumus, intelliguntur. Et cum secundum vnum Deum & vnum dominum, & vnum baptisma, etiam fides vna sit: excessimus ab ea fide, quae sola est: & dum plures fiunt, ad id coeperunt esse, ne vlla sit. Conscii enim nobis inuicem sumus, post Niceni conuentus synodum, nihil aliud quam fidem scribi: dum in verbis pugna est, dum de nouitatibus quaestio est, dum de ambiguis occasio est, dum de autoribus querela est, dum de studiis certamen est, dum in consensu difficultas est, dum alter alteri anathema esse coepit: prope iam nemo Christi est. Incerto enim doctrinarum vento vagamur, & aut dum doceamus, perturbamus, aut dum docemur, erramus &c. &c. *inter lucubrations eius pag. 211, edit. Basl. 1570, fol.*

23.

24.

4.

32

culo M. CC. ex hoc symbolo aduersus Graecos pugnarent Latini, non constiterit satis, verene esset Athanasii. Namque patriarcha Alexandrinus, & praeses Constantinopolitaneus, illud admittere noluerunt. Lingua praeterea Latina exaratum est symbolum hoc, postmodum Graece redditum, ideoque Latinum GER. IOANNI VOSSIO puerius audit, in dissert. II. num. 23. Id sanae verisimile est, titulum huic propterea eidem inditum fuisse, quod summam comprehendat fidei Athanasianae, adeo quidem, ut ex libris auctoris videatur esse adornatum. Duo enim praecipua Christianae fidei mysteria, de quibus olim acriter disputabatur, tractat; nimirum SS. Trinitatis vnum, alterum vero incarnationis FILII DEI: quorum hoc oeconomiam, illud theologiam veteres adpellavere, vid. Gregorii Nazianzeni Orat. XLII. in pascha II. & GER. JOANNES VOSSIUS dissert. II. Quod ad symbolum apostolicum attinet, nonnulli cominiscuntur illud ab apostolis breui ante dispersionem eorum fuisse conditum, ut instar tesserae esset, qua dignoscerentur, qui apostolorum doctrinam, eamque genuinam, essent amplexuri. Et ita quidem JUSTINUS citatus BARONIO ad annum XLIV, Num. XVI, & GENEBRARDUS, Lib. III. de Trinit. *Apostolis certe magno veterum consensu tribuitur;

*) Traditionis huius falsitatem arguit silentium Lucae in actis apostolicis, qui alioqui dispersionem discipulorum, concilia apostolica, & alia memorat, item silentium omnium vetustiorum ΤΑΥ' ΕΥ' ΑΥΘΟΙΟΙΣ, JUSTINI MARTYRIS, IRENAEI, CLEMENTIS ALEXANDRINI, ORIGENIS, TERTULLIANI, EUSEBII, HILARII, CYRILLI Hierosol. &c. antiquum illud quidem esse, vel inde colligitur, quod iam seculo III. ea forma, qua hodie est, comparuerit, excepto articulo de descensu Christi ad inferos, (vetera enim symbola simpliciter, sepultus est,) idque recitasse baptismum sacrum suscepturos, RUFFINVS auctor est. Aetatem tamen conciliorum oecumenicorum non superat. Alia enim Nicaeno, Constantinopolitanoque condita, atque sancita, & ab Ephesinis atque Chalcedonensibus fuere confirmata, apostolici, sive potius Romani, nulla mentione facta: id quod pulchre ostendit post Vossium, JO. FRANCISCUS BÜDDEUS in Isagoge ad Theologiam Part. II. prolixius autem Hermannus Witsius in observationibus utilissimis ad symbolum apostolicum.

tur; siue quod ab illis in commune scriptum, ac editum existimabant; siue quod compendium esset apostolicae doctrinae, ac prae symbolis aliis, verbis quoque gaude- ret apostolorum & euangelistarum. Complectitur illud articulos fidei, non quidem omnes, sed praecipuos dum- taxat, qui illo forte tempore ab haereticis impugna- bantur.

§. VII.

Cum autem mentio facta sit schismatis inter eccle- siam orientalem & occidentalem; de hoc ante omnia a- liquid est dicendum, vt serie narrationis ordine proce- dente, expositio illustrior sit ac clarior. Etenim iam secu- larum Christianae secundo exeunte, quum antea paul- latim gliscerent, in apertum eruperunt mutuae ecclesia- rum dissensiones, quae nondum, tametsi conciliatio earundem subinde tentata fuerit, sopiri poterant satis. Post Nicaenae enim synodi decreta, quae dissensum vtri- usque ecclesiae promouerunt magis, illa memorabilis est compositio, quae magno conatu quaerebatur anno M. CCCXXXIX. ab Eugenio IV. in Concilio Florentino. Cui quidem, ipse imperator Orientalis, Joannes Palaeolo- gus, quamuis & alia de causa, interfuit, atque subscrip- sit, vna cum Patriarcha suo Byzantino, verum euentu prorsus irrito. Postquam enim domum ex Italia rediit im- perator, nouum est exortum schisma: atque ita vnita- tem diuisio, concordiam discordia consequebatur.*)

§. VIII.

Nec leues solum dissensiones manebant vtramque ecclesiam, sed odium quoque plusquam vatinianum. Namque, quemadmodum Latini Graecos, ita Graeci Latinos Romanenses semper habuerunt schismaticos, ne- que

*) De quo queritur Auctor Turco Graeciae apud MART. CRUSIUM, fol. I. tum, inquit, omnes, qui in orbe degebant clerici, hieromonachi, sa- cerdotes, abbates, Confessionibus audiendis praepositi, caeterique nolebant liturgias & sacra cum illis qui venerunt, celebrare, aut in pre- cibus mentionem ipsorum facere, sed recedebant ab eis, tamquam qui pietatem abiicissent. Multi etiam sacerdotio renunciarunt.

que quemquam eorum facile ad Castra sua transire pariebantur, nisi *baptismate* prius sacro initiaretur. Idque, ne studio partium agi videamur, exemplis singularim illustrabimus, vel maxime in eorum gratiam, qui consensum vtriusque ecclesiae perpetuum vrgent tan-
topere. Plura quidem dissensus documenta exhibet auctor Turco-Graeciae, sed vnum atque alterum sufficere prae reliquis memorabile. Etenim anno M.CCCXCIMA-
NUELUS PALEOLOGUS Imperator quum opis alienae indigeret, ad Italiam sibi confugiendum iudicauit, & Pontificem maximum, aliosque Principes Italos auxilii alicuius gratia, ad mala, quae tum Imperio suo imminere videbantur, propulsanda interpellandos, Cumque eo peruenisset, faciles quidem in promissis expertus est Proceres Italiae, ipsumque Pontificem Romanum, sed euentu iterum irrito. *Causa scilicet praetexebatur Manuelum die quodam festo venerationem imaginis crucifixi Christi in dextera manica Chorepiscopi inextitae, recusasse.* Quamobrem Pontifex indignabundus significandum duxit per Italiam, ne quisquam Imperatori Graeco, quippe qui nolisset imaginem Christi adorare, auxilium ferret; caeteroquin eum qui contraiuerit, a sacrorum communione sine vlla venia exclusum iri. Quibus imperator auditis, qui alioqui magna spe ducebatur, ex Italia excessit, atque Venetias contendit, vbi spe pariter frustratus est. Leuiculum hoc crimen, si modo crimen dicendum, ob quod Imperator optimus a Pontifice condemnatus, omni spe, quam melius conceperat, excidit. atque ita eum, licet quam proxime etiam a Romanae religionis praescripto recesserit, vt haereticum & desertorem violatoremque Christianae fidelitatis, est execratus Bonifacius IX.

§. IX.

At neque Graeci temere praetermittebant occasionem, vbi alienum a Latinis testari poterant animum. Quum enim Arsenius quidam, partibus Romanensium addictus, Pachomio Priore Patriarcha, Venetiis venisset

Mo-

Monembasiam, diplomate Venetorum instructus, (ea enim vrbs tunc temporis ad eorum imperium pertinebat;) receperant quidem Monembasiatae hominem, immo vivente adhuc tum genuino Metropolita, Metropolitanam suum designarunt. Sed statim atque compertum habebatur, eum sedem Pontificialem ope Latinorum occupasse; illico scriptum Patriarchale adornatum est, quo ei interdicebatur administratione Pontificali, quia legibus violatis videbatur ordinatus. In testimoniis colligendis ad dissensum vltro probandum otium nobis fecere alii*, quare & ex Oriente versus Occidentem, quippe instituto nostro propiorem, nos accingimus, ibidem statum ecclesiae Christianae lustraturi.

§. X.

Expendimus haecenus Orientalem ecclesiam ab eius primis incunabulis; idemque porro, pro nostri institutione, tentabimus in Occidentali. Ac eo in primis oculos conuertemus, vnde ecclesia Christi incrementum sumserit praecipuum. Mirum profecto videri debebat hominibus ethnicis, quod progressus euangelii pluribus imperatorum minis, aut poenis, licet seuerissimis illis, & gravissimis, non potuerit impediri; quin illud vltro erumperet saepe, & non solum per Orientem, verum in occidentem etiam se latius diffunderet, *neque enim Ciuitatem tantum, querebatur C. PLINIUS, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagionem* (ita homo profanus Christianam perstrinxit religionem) *pervagatam esse, Lib. X. epist. 97. ad Trajanum Imperatorem. Caecilius autem apud Minucium Felicem, per vniuersum, inquit, orbem sacraria ista teter-*

*) Maxime vero in eo operam collocavit, magni nominis theologus, *Ἰωάννης ἐν Ἀγίοις*, IO. FRANCISCVS BVDDEVS, duobus schediasmatis, vno, *de Roma cum Ruth. eccles. irreconciliabili*; altero in *Apologia pro ecclesia Lutherana contra STEPHANI LAVORSKII calumnias. Ac praeter HEINECCIUM: Abbildung der alten und neuen Griechischen Kirche*, meretur legi, vir, de republica literaria egregie meritus, I. P. KOHLIVS, in exercitatione *de consensu & dissensu Orientalis Graecae, speciatim Russeae, & Lutheranae ecclesiae*, prodiit Lubecae 1723. 8.

rima impiae coitionis adolefcunt pag. 81. Sic TACITUS quoque indignatur, *fuisse Romae, quos vulgus Christianos adpellabat*, repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursus erumpebat, non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam, annal. Lib. XV, c. 44. vnde in omnia regimen, Lib. III. cap. XLVII. Quod si itaque status ecclesiae externus spectetur, hospitabatur illa quidem in vrbe, quae multis, iisque atrocissimis, vitiis prouti Paullus Cap. I. docet, scatebat; nihilo tamen minus admiranda est singularis in eo quoque diuina prouidentia, quod verbum euangelii primum huic vrbi voluerit patefactum, in qua domicilium orbis terrarum erat imperii. Patebat enim omnibus, etiam remotissimis, populis, qui vel visendi gratia, vel alia necessitate coacti, frequentes eo confluxere. Nec gentiles tantum sed Iudaeos quoque complectebatur Roma illo tempore, ad quos quum pariter spectaret euangelium: ex tam illustri loco commodius utique ad alias etiam regiones, quae cum Romanis amicitiam colebant, perferebatur.

XI.

Quemadmodum autem ecclesia tam pulcre ordinata, in vrbe caeteroquin corruptissima, effloruerit, aut per quos semen euangelii primum in eam illatum: illud vero est, quod prorsus ignoramus. Interim DEUS O. M. qui occasum ecclesiae Romanae degeneris praeuidebat, sapienter declarare voluit, ne quis humanis auctoritatibus superbiendi relinqueretur locus. Fuisse certe lectissimam florentissimamque ecclesiam illam, multa egregia Paulli, testantur elogia. Namque Christianos, qui tum Romae vixerunt, ἀγαπητὸς θεῷ, homines dilectos & charos Deo, adpellat, nec non κλητὸς θεῷ, qui Deo vocanti obtemperauerant, perque fidem in Iesum Christum & per ipsius spiritum sanctificati, Deoque consecrati erant, in aurea sua epistola, Cap. I, 7. aperteque profitetur, *eos fide iustificatos pacem habere cum Deo*, Cap. V, 1. nec in carne esse, sed in spiritu, siquidem Dei spiritus in ipsis habitat. Cap VIII

VIII, 9. & Cap. XV, 14. *hoc, inquit persuasum habeo, fratres mei, quod ipsi per vos pleni sitis bonitate, impleti omni cognitione, & qui possitis etiam vos mutuo admonere.* Quibus verbis non modo fratres Romanos nuncupat, sed omnem etiam sanctitatis cognitionisque & sapientiae mensuram a Deo ipsis tributam fatetur, neque intermit- tit clarissima illius ecclesiae sidera, debitis mactare elo- giis, Cap. XVI. *

§. XII.

Habuisse tunc iam ecclesiam Romanam ordinem ecclesiasticum optime constitutum, in quo prophetae, doctores, rectores, diaconi suo fungebantur munere, vel ex Cap. XII, 6. 7. 8. satis liquet; maximum vero ei prae- fuisse Pontificem, qui cum suprema auctoritate res eccle- siae administraverit, eius quidem rei Paullus mentionem fecit penitus nullam; immo nequidem ex veterum conciliis, licet id quidam conari velle videbantur, hucus- que demonstrari potuit. ** Melius itaque colligitur, ro- manae ecclesiae regimen & doctrinam aequae, ac mores, sensim sensimque descivisse a pristina sua integritate, vel maxime, quum praeposterum quoddam studium pla- cendi Gentilibus atque Judaeis, ad Christianam religionem conuertendis, varios ritus iam Seculo II, in ecclesiam in- ueheret. Namque cerimonias illas, quae multum a simpli- citate pristina recedebant, mox comitabatur superstitio- sus factus in episcopis romanis, cuius accusabantur, faten- te BASILIO apud *Baronium*, ad annum Christi CCCLXXII. Enimvero VICTOR, romanus episcopus, anno CXC.

C 3

Ori-

*) Ad illustrandum ecclesiae Romanae statum sub apostolis, praeter BVDDI ecclesiam apostolicam; facit non minus IOANN. LACOBI FAMBACHII, viri clarissimi, *introductio historico-theologica in epistolam Paulli ad Romanos.*

**) Huc spectat summe venerandi praesidis dissertatio, *de variis Pontificum, iisque iniquissimis adversus Caesares, Reges ac Principes molitionibus, & ab Christi viciariis, quales se iactant, longe alienissimis;* & viri celeberrimi, D. ERNESTI SALOM. CYPRIANI, tractatus: *Belehrung von dem Ursprung des Pabstthums, Cap. XII. 8. V. VI.*

Orientalis Quartadecimanos ; dein Stephanus anno CC. LVII. Africanos Asianos super quaestione de baptismo haeticorum, inaudito suprematus adfectati exemplo, excommunicabat. Interim sub Constantino M. vel fundata, vel certe confirmata est auctoritas episcoporum ; qui, commaxime translato imperio, quod accidit circa annum CCC. LIV. remotiores ab aula imperatoria tutioresque facti, plurima bona ad se pertraxerunt, hinc oves ex praetensa donatione Constantini M. *** *Vid. decretum Gratiani Distinctione 96. Can. 13. & 14.*

§. XIII.

Ab hoc tandem initio, obtenti suprematus, extulere animos, ac praeter dominium in spiritualibus supremum, absentia Imperatorum abusi, deletoque a Longobardis exarchatu, in mundanis quoque dominari incipiebant

***) Ergo non immerito queritur SVLPITIVS SEVERVS de corruptis moribus episcoporum sui temporis, hoc est, inclinati seculi IV. in Hispania: *san-za*, iniquens, hoc tempore animos eorum (ministorum ecclesiae) habendi cupido veluti tabes incessit; inhiant possessionibus, praedia excolunt, auro, incubant, emunt venduntque, quaestui per omnia student. At siqui melioris propositi videntur, neque possidentes, neque negotiantes, quod est multo turpius, sedentes munera expectant, atque omne vitae decus mercede corruptum habent, dum quasi venalem praeserunt sanctitatem. *Historiae sacrae Lib. I. Cap. XIII. p. m. 74. & Lib. II. Cap. XII. §. seq.* Inter nostros perpetuum discordiarum bellum exarserat: quod iam per quindecim annos foedis dissensionibus agitatum, nullo modo sopiri poterat. Et nunc, cum maxime discordiis Episcoporum turbari aut misceri omnia cernerentur, cunctaque per eos odio aut gratia, metu, inconstantia, invidia, factione, libidine, avaritia, arrogantia, desidia, essent deprauata: postremo plures aduersum paucos bene consulentes infans consiliis & pertinacibus studiis certabant: inter haec plebs Dei, & optimus quisque probro atque ludibrio habebatur. Plura exempla eiusdem commatis exhibet *CAMPEG. VITRINGA in Anacrisi Apocalypticos Joannis Apostoli. ad Cap. VIII. vers. 12. & 13. pag. 367. seq. edit. Amstel. quae prodit 1719. 4.* Atque ita rebus nimium prospere & secundum vota fluentibus, eo temeritatis processum est, ut anno D. C. VII. BONIFACIVS III. titulum Episcopi Oecumenici quem *GREGORIVS M.* tantopere detestabatur, a Phoca Caesaro cida acciperet,

piebant episcopi Romani; neque iam occulte, vt antea, sed palam ac publice dignitatem suam maiestati Imperatoriae praeferre; *tamquam lenta solent inter viburna cupressi*. Etenim HILDEBRANDVS, postea Gregorius VII. dictus, anno M. LXIII. qui primus nomen Papae sedi Romanae proprium fecit, tam atrox audebat facinus, vt aperto etiam Marte pro suprematu in temporalibus dimicaturus, Imperatorem HENRICVM IV. ex comunicatum, priuaret imperio. Inter Hildebrandi successores, eminuit Bonifacius VIII. Alexander VI. & Iulius II. De Bonifacio VIII. memorabilis est propheta Coelestini V. cui ipse successerat; *intrauit vt vulpes, regnabit autem vt Leo, morietur vt canis*, furenti quippe similis, & quasi in rabiem versus. Quae propheta epitaphii instar eidem mortuo scripta memoratur à WERNERO in Fasciculo temporum, & Matthaeo Westmonaster. ad annum M. CCC. III. Confer. & FRIDER. SPANHEMII Hist. eccles. ad secul. XIV. pag. 1737. OO. Tom. II. Ac de ALEXANDRO hoc ONUPHRIVS PANVINIVS, quamquam Romanae sedi addictus, non dubitat adseuerare, fuisse eum monstrum, perfidia, plusquam Punica, saeuitia immani, auaritia, immensa rapacitate, inexhausta parandi filio imperii per fas & nefas, libidine. Si quando negotiis non premeretur, omni se iucunditatis generi sine discrimine dedit, mulieribus maxime addictus, ex quibus quatuor filios, & duas filias tulit. Omnium praecipua fuit Vanocia Romana . . . adhaec superbiae in reges ac principes intolerandae, nefandae libidinis, saeuitiae immanis, auaritiae inexhaustae, impietatis detestandae, sub quo Roma *Carnificina facta*, vt idem PANVINIVS. De eo dictum, implese Hispaniam in sua legatione *Meretricibus*, Romam *spuriis*. Et Janus Pannonius, auctor elegiarum & epigrammatum, adludens ad vsum sellae perforatae abolitam, sub initium Seculi XVI.

*Cur igitur nostro mos hic nunc tempore cessat,
Ante probat quod se quilibet esse marem.*
namque ex filiis alterum minorem natu Principem in regno Sici-

23.

24.

4.

32

Siciliae fecit; alterum Caesarem nomine Cardinalem, qui tamen mox spreto Sacerdotio, ad matrimonii vota transiit. ducta Caralotta de Albretto, Galliae regis propinqua. Hic ille Caesar est in quem profudit Alexander thesauros ex indulgentiis, ex Jubilaeo conquisitos; unde is dicitur loco, se dilapidare peccatilla Germanorum. JULIUS II. autem est *Lanista, Cleri Magister sanguinarius, effractis diuini timoris repagulis, feras nationes in DEI populum immittens, &c.* ipsi GUIL. BUDAEO Libro de *Assē*. Et vno omnium ore totus Simoniacus, turbulentus, immanis, turbo, procella, Bellonae Sacerdos, Pacis nescius, monstrum Hominis, nedum Pontificis, etiam auersae libidinis, & ebrietatis, aliisque id genus criminibus alligatus: praeter Budaeum, fatetur Onuphrius Panuinius in IULIO II.

§. XIV.

Merito itaque pii omnes detestabantur romanorum pontificum, crescentem in dies tyrannidem, impietatem, simoniam, libidinem bellandi dominandique, & ad omne scelus proiectam improbitatem: quippe quorum saeuitiae, ac crudelitatis longe grauiora existant facinora, quae per ministros & satellites suos vndiquaque patrarunt, flammis vlticibus in infantes saeuendo, sanguinem sanctissimorum martyrum impune effundendo. Nec enim facile delebit vlla aetas memoriam JOANNIS HUSI & HIERONYMI PRAGENSIS, in quos Constantiam accersitos fide publica, quam saluum conductum vocant, capitalis sententia lata, vt viui comburentur. Praeterea testabuntur id *persecutiones*, aduersus Piccardos, & siquibus aliis nominibus venerunt Waldensium ecclesiae, in Gallia, in Anglia & Scotia aduersus Wicklesi sectatores: in Bohemia & vicinis partibus aduersus Hussitas.* MARTINO V. statim a Synodo Constantiensi classicum in eos canen-

* De quibus videtur Cl. V. IOACHIMI CAMERARII, *historicam narrationem de Fratrum orthodoxorum ecclesiis, in Bohemia, Moravia & Polonia, Heidelbergae* prodiit typis Voegelinianis, 1605. 8.

canente, anno M. CCCC XX. Hinc bella Hussitica, plus admirationis quam fidei habitura apud posteros, Ænea Syluio iudice; & post acerbos ac luctuosos exitus euentusque, susceptae tam crudeles persecuciones, domesticae dissensiones, quae ecclesiae vulnera magis magisque exasperarunt; dein odia illa aduersus doctores propugnatoresque veritatis, quos vt hæreseos, ita seditiosorum etiam crimine simul infamarunt.

§. XV.

Quo morbo quum satis diu laboraret ecclesia, subinde desiderata est generalis quaedam reformatio ordinis ecclesiastici, tam in capite, quam in membris; nec in moribus tantum, sed doctrina etiam, quippe quae densissimis tenebris tunc implicata atque demersa delituit. Cum primis vero vrserunt hanc *) reformationem plerique etiam in generalibus synodis: Pisana, Constantiensi, Senensi, Martino V. Pontifice, tum & Basileensi, prout id ex actis & canonibus liquet. Ac libellum hoc nomine oblatum synodo Constantiensi à PETRO DE ALLIACO, Cardinale Cameracensi, de reformanda ecclesia, anno 1415. exhibet Orthuinius Gratius in Fasciculo rerum expetendum.

*) Inter hos, qui vniuersalem Romanae ecclesiae corruptionem arguerunt, praecipui erant sub initium seculi XIV. GVIL. DVRANDVS, iunior, in tractatu peculiari, de modo Concilii celebrandi generalis, qui cum aliis proximae aetatis, vt NICOLAI DE CLEMANGIS, de corrupto ecclesiae statu; Petri de Alliaco, Cardinalis tempore Constantiensis synodi de emendanda ecclesia &c. recusus est 1671. Paris. item Theodoricus a Niem, agri Paderbornensis, qui nobis reliquit historiam, pari fide atque integritate exaratam, Libris III. de schismate sui temporis grauisimo inter Papas & Antipapas & morte Gregorii XI. ab anno MCCCXXXVIII. vsque ad electionem Alexandri V. ipse scriba Pontificum, vel abbreviator apostol. Librum IV. quem Nemo vnionis vocat, edidit Schardius Basileae 1560. cui Henricus Meibomius senior, adiecit vitam IOHANNIS XXIII. (XXII.) quam ex MSS. primus eruit, Francof. anno 1620. vel eo nomine omnibus commendandam, quod Romanae ecclesiae Simoniam, nefandam corruptionem, inuouationes, Papparumque vitia, cleri libidines, Monachorum otia, & id genus alia perstringant detegantque liberius. Plurium nomina profert SPANHEMIVS in H. E. ad Sec. XIV. & XV. item ERNEST. SALOMON CYPRIANVS, in tractatu quem laudauimus.

rum. Quin etiam imperatores, reges atque principes, latentibus plurimis aliis, siue metu inquisitorum, siue temporum & locorum quadam necessitate, serio exigebant reformationem. Sed nihil est profectum. Promissa illa quidem diu fuit, ac probata specie tenuis: tentata tamen, aut impleta nunquam; ipso pontifice, & cardinalibus reliquis, Italis praesertim, pia desideria semper eludentibus; donec illa ipsa vis nimis alte elata, nutare, & ne sua ipsa mole concideret, periclitari visa esset. Non enim conatus imperatorum ad illam effrenatam potentiam coercendam, aut piorum & doctrina praestantium virorum reprehensiones & admonitiones defuerunt. Ac primum quidem reprehensiones ferme in moribus Corruptis versabantur, & vitae dissolutione exagitanda; id potissimum agendo, ut correctis peccatis manifestis, ordo ecclesiasticus ad formam meliorem redigeretur. At vero dein nonnulli animosiores, adhuc religione plerosque terrente, ausi sunt tangere etiam carpendo doctrinae errores, & quasi fundamentum, quo status ille ut cumque nitebatur, dogmatum conuellere. Namque falsitatem multis in partibus demonstrarunt, & in plurimis perversitatem, & veritatis contaminationem, ex neglecto sacrarum litterarum studio, humanorumque commentorum admiratione, profectam. Verum huiusmodi voces querulas facile frequens reclamantium multitudo suppressit, quippe terrore quasi fulminis percellente omnes crimine haereseos, cuius atrocissima & maxime terribilis esset accusatio. Ad eum enim omnium scelerum cumulum illa in ecclesia CHRISTI, cuius sanctissimum nomen praetendebatur, praesidens potentia tum iam deuenerat, ut omnia aequitate, iustitia, veritateque procul remota, causae suae defensionem in armis, terrore atque oppressione constitutam haberet. Sed in his non est morandum. Ea enim edisserere verbosius, & nudam expositionem quasi vestire exemplorum inlustratione, nimis esset longum, & prope alienum ab iis, quae sunt ad expendendum proposita. Generalis tamen illorum mentio non fuit silentio praetereunda.

§. XVI,

§. XVI.

Fatetur id ipsum IAC. BENIG. BOSSVETVS, episcopus Meldensium, qui caeteroquin se moleste sedulum criminatorem religionis euangelicae exhibuit. concedit enim, ecclesiam Romanam, matrem ecclesiarum, quae primaeuam illam disciplinam ecclesiasticam novem integris seculis exemplari cum adcuracione per orbem terrarum obseruabat, non fuisse exemptam deprauatione.*) Haec tenus bene quidem. Sed quod in sequentibus comminiscitur, reformationem, quae tum expetebatur, non ad doctrinam, sed mores saltem ad disciplinam spectasse, id eiusmodi est, ut omni prorsus fide destituatur. Compertum enim est, ex his quae passim scriptores tradunt ad secula XIII. XIV. XV. Albingenses, Waldenses, Wicklefitas, Bohemos ac multo plures eam ob rem potissimum ex Romana ecclesia secessisse, quod cum vrgeretur aliquando doctrinae, aequae ac disciplinae emendatio; eius rationem haberi viderent penitus nullam. Certe Waldensium, vt alios taceam, & Albingensium Confessiones publicae, quas edidit, luculenter testantur, eos nequiquam ob nudam scelerum vitiorumque reprehensionem inuisos fuisse Romanensibus. Nisi enim ad maximi momenti doctrinas veritatesque tuendas descendissent, facile potuissent vitare, ne veritas ipsis odium pareret atque vindictam. Namque

D 2

*) Verba eius sunt: *L'Eglise Romaine, la Mere des Eglises, qui durant plusieurs siècles entiers, en obseruant la première avec une exactitude exemplaire la discipline ecclesiastique, la maintenoit de toute sa force par tout l'univers, n'étoit pas exempte de mal; Et des le tems du Concile de Vienne un grand Evêque chargé par le Pape de préparer les matières qui devoient y être traitées, mit pour fondement de l'ouvrage de cette sainte assemblée, qu'il y falloit reformer l'Eglise dans le Chef Et dans le membre. Le grand schisme arriva un peu après, mit plus que jamais cette parole à la bouche non seulement des Docteurs particuliers, d'un Gerson, d'un Pierre d'Ailly, des autres grands Hommes de ce tems-là, mais encore des Conciles, Et tout en est plein dans le Concile de Pise Et dans le Concile de Constance. On sait ce qui arriva dans le Concile de Basle, où la reformation fut malheureusement éludée, Et l'Eglise replongée dans de nouvelles divisions Et dans l'histoire des variations des eglises protestantes Tom. I, Lib. I. sub initium.*

manifestam deprauationem morum nec agnoscere difficile est, nec liberius accusare admodum periculosum. Sed vero longe plurima doctrinae sanctioris capita, quorum publica professio Romae metuenda erat, non agnouerunt modo, verum etiam defenderunt. Aperte enim commonstrabant, se docere: 1.) *Scripturae sacrae volumina* satis esse fusa amplexu ad restituendam salutem hominibus, & ad depellendum errorem eorum, qui oppugnant veritatem; item ad haereses & vitia, deprauatosque hominum censendos atque corrigendos mores. Quare Scripturae Sacrae scientiam auro & gemmis longe magis expetendam esse; eiusque disciplina omnne hominum genus ad praeceptorum omnium obseruationem erudiri, ad eius lectionem adstueri oportere. 2.) Se spem totam & fidem habere in IESU CHRISTO, solo Salvatore, iustificatore; solo interprete, & patrono generis humani; solo Sacrificatore, cui successore non fit opus; 3.) Credere remissionem peccatorum gratuitam, a misericordia & mera bonitate Christi profectam. 4.) Animas esse immortales: fidelium autem ac filiorum DEI animas, quamprimum ex hoc corpore migrarunt, ad gloriam coelestem transire. 5.) Bona opera fieri debere, non quidem spe promerendi aliquid apud DEum, aut metu aeterni exitii; sed ex officio atque amore, quo communem omnium nostrum, Patrem complecti oportet, vt obsequium nostrum ad ipsius gloriam & proximi aedificationem spectet. Haec atque alia in eandem sententiam profitebantur Waldensium ecclesiae: videlicet eorum Confessionem in excidio reliquiarum Waldensium & Albingensium Merindolii, & in vicinis locis Prouinciae; quod IOACHIMI CAMERARII historicae narrationi de Fratrum orthodoxorum ecclesiis in Bohemia &c. adiectum est. Neque adeo HVSSVS ipse, quem Bohemi potiori ex parte sequebantur, multum ab his diuersa statuit; quippe adstruens, ecclesiam errare posse, adeoque ad sacri codicis normam refingi oportere: & contra papali tyrannide, praecipua Christianae religionis dogma-

dogmata perspicue explicans. Pro rostris tamen, quam alias, plures eum doctrinas illustrasse, auditores sui, quos nactus erat, & hymni sacri a se compositi, testantur. Nam praeterquam quod eucharistiam sub utraque specie administrandam docebat; meritum Christi adeo doctrina sua euexit, ut merito bonorum operum nullus in iustificatione relinqueretur locus. Ante aliquot annos quidem vir doctissimus, IACOBVS INFANTIVS, demonstrare conabatur, HVSSVM statuisse *transsubstantiationem, sanctorum inuocationem, purgatorium, adorationem imaginum, septem sacramenta, meritum bonorum operum, & id genus heterodoxa plura, in Historia Concilii Constant. Lib. III. §. 53. seqq.* sed de his, quia in praesens non licet, alio loco forte & tempore disquiremus.


§. XVII.


Obtinuit autem in tanta deprauatione ordinis ecclesiastici sacrorum omnium nudatio publica, & quidam de animabus & conscientis lusus, qui cum maxime se exercuit sub ALEXANDRO VI. & IVLIO II. statim initio seculi XVI. egregium (dii melius duint) augendo romano Pontificum aerario, monopolium. Interim Leo X. antecessorum suorum exemplo forte inductus, dum bella Italica, & ardua quaeuis omnia animo cogitaret, quaestores & propolas quaquaersam emisit, qui *coelum venale* exponerent, atque expiandum quidquid vspiam perpetratur nefas. Causas autem eius promulgationis indulgentiarum indicat satis candide LUDOUIGVS MAIMBVRGIVS, * scilicet: *LEONEM X. pro eo, quo fuit ingenio, molitum in speciem superbam porro structuram Basilicae*

*) Libro Gallice conscripto: *L' Histoire du Lutheranisme*, mox sub initium. Quem vir illustris, VITVS LYDOVICVS A SECKENDORF, opere illo incomparabili *Historiae Lutheranismi*, pro virili excepit. Caeterum fontes ac subsidia, huc spectantia, reperies in *historia sacrorum B. Lutheri emendatorum*, quam nuper PHILIPP, FRIDERICVS HANE, vir indefessus, ac de illustri hac Albertina optime merens, adonavit. Nec minus, quamvis exiguae molis liber, *Lutheri Apocalypticus*, celeberrimi D. CHRISTOPHORI AVGVSTI HEVMANNI, commendandus est.

S. Petri, Aerario Pontificis exhausto, profusis sumptibus, qui magis potentissimum terrae decuerant, quam Vicarium illius, cuius regnum non est de hoc mundo, recurrisse exemplo JULII Pontificis ad indulgentias, quae ubique terrarum publicari fecit, facta potestate vescendi ouis & caseo tempore Quadragesimae, & eligendi sibi Confessionarium: & agnoscendum bona fide esse: Successores Pontificios, in dispensatione horum thesaurorum spiritualium multo cautiore fuisse, & tum facta quaedam esse, quae hodie non fierent. Addit, ferri ex probatorum auctorum fide, Leonem sorori suae, principi Cybo, nuptiae adsignasse harum indulgentiarum prouentum, certo pretio aestimandum, quod in antecessum soluerent plus offerentes. Hinc missos horum sollicita cura Praedicatores, & Quaestores, qui omnium maxime habiles viderentur, ad has merces indulgentiarum venditandas, prout avaris his & sacrilegis Quaestoribus expediret. Adeo quidem, ut in vna Germania, spatio triennii, foedisimum hoc mercimonium ter repetitum fuerit. Nimirum anno M. D. XIV. VI. & anno M. D. XVII. quo MARTINVS LUTHERVS, pridie Calendas Nouembris *propositiones de indulgentiis* templo arcis Witembergensis adfixit, fraudes illas & imposturas, quibus earum praecones imperitum vulgus circumueniebant, redarguens, atque ea occasione doctrinam de poenitentia & iustificatione, per Germaniam & in exteris etiam Europae terris multis instaurauit. Animus ipsi quidem initio non fuit, ecclesiam inueteratis purgandi erroribus; ut ipsemer Megalander fatetur: *nihil tale somnians*, inquit, *cum inciperem docere*, Comment. in Genesim fol. 341. a.; postea tamen, quam omnia ita diuinitus erant comparata, ut leuissima adgressione, illa tanta moles statim concuti posset, & cum semel ruere ceopisset, per se prolabi atque concidere eam oporteret; omnino propius admo- uenda manus erat negotio reformationis, quod & feliciter per DEI singularem prouidentiam confectum est. Verum ne de his quidem plura hoc loco habeo dicere: atque iam ad rem veniendum, & deinceps institutum exequendum est.








FIDEI AC FIDELITATIS.

25

endet, Salvator ei adjungit disciplinam suam,
 gravissimi momenti lectiones de vera animi le-
 c demissione, nec non eam de suo promptissimi
 ii & almæ crucis jugo & onere, per ipsius grati-
 lli illo ac portatu facili. Sic is Ioh. III, 16. & seqq.
 doctrinæ evangelicæ primario: *Adeo Deus dilexit*
in K. T. A. primum aliquoties *fidelem* requirit ac
 endat; & deinde, quo ea charactere suam
ita probare debeat, non minus gravissimis in-
 verbis, quando, universo tenebrarum, seu pec-
 m dominantium statu inde penitus sejuncto,
 ambulationem in luce, bonorum operum
πορεία insignitam, adjungit.
 ad doctrinam apostolicam accedamus, eam ty-
 isti & prophetarum ac patriarcharum eo magis
 endimus conformem, quo magis Apostoli illud
fidelitatis æquilibrium, tanquam *ἑξῆς* suum præ-
 n, in epistolis suis urgent ac commendant. Id
 rimum in genere inde quam liquidissime con-
 od primum fidei, in *ὑποφύτοις* Christianis per
 lium jam excitatæ, suum, e quo concepta e-
 ncipium suumque elementum ac alimentum
 elicum, ad eam nutriendam confirmandamque,
 exhibeant, ac deinceps ejusdem praxin in
 ac continuandæ renovationis fidelitate requi-
 Id quod in primis Paulo in singulis epistolis
 propositum, ut illæ inde dispesci soleant in
 tractationis *dogmaticam* de rebus *fidei*, & *paræ-*
 de praxi *fidelitatis*, denominatione a potiori

D

3. Ut



the scale towards document